8

Memoriæ

HONORATISSIMI DOMINI FRANCISCI, BARONIS DE VERVLAMIO, VICE-COMITIS SANCTI ALBANI

Sacrum.

LONDINI
In Officina *Iohannis Haviland.*
1626.



Lectori S.



Vod præcipuum sibi duxit *Honoratissimus Dominus* meus, *Vice-Comes, Sancti Albani, Academiis*, & viris literatioribus ut Cordi esset, id (credo) obtinuit; quandoquidem insignia hæc Amoris & Mœstitiæ Monumenta indicant, quantũ Amissio ejus eorundem Cordi doleat. Neq; verò parcâ manu Symbolum hoc conjecerunt in eum *Musæ*; (plurimos enim, eósq; optimos Versus apud me contineo;) sed quia ipse mole non delectabatur, Molem haud magnam extruxi. Satis eti-

am sit, ista veluti Fundamenta, præsentis Sæculi nomine, jecisse; Fabricam (puto) hanc exornabit & amplificabit unumquodq; Sæculũ; Cuinam autem sæculo ultimam Manum imponere datum sit, id *Deo* tantùm & Fatis manifestum.

G. Rawley. S.T.D.



Deploratio Obitûs omnia doctiſsimi & clariſſimi viri D. *Franciſci Bacon S. Albanenſis.*

ALbani *plorate Lares, tuq; optime* Martyr,
Fata Verulamii *non temeranda ſenis.*
Optime Martyr *& in veteres i tu quoq; luctus,*
Cui nil poſt dirum triſtius Amphibalum.

Baconi Opera literaria vocantur ad Rogum.

INſtauratio magnâ; Dicta acutè;
Augmentum geminum Scientiarum,
Et ſcriptum patriè & dein latinè
Auctu multiplici, profunda Vitæ
Mortiſq; Hiſtoria, *ut lita anne lota*
Rivo Nectaris Atticive mellis!
Henricus *neq;* ſeptimus *tacetor;*
Et quicquid venerum politiorum, &
Si quid præterii inſcius libellûm
Quos magni peperit vigor Baconi.

Plus novem edecumata Musa Musis,
Omnes funebribus subite flammis,
Et lucem date liquidam parenti.
Non sunt secula digna quæ fruantur
Vobis, ah Domino (ah nefas) perempto.

S. Collins. R.C.P.

In Obitum Incomparabilis *Francisci Vicecomitis Sancti Albani, Baronis Verulamii.*

DVm longi lentiq; gemis sub pondere morbi
Atq; hæret dubio tabida vita pede;
Quid voluit prudens Fatum, jam sentio tandem:
Constat, Aprile *uno te potuisse mori:*
Vt Flos *hinc lacrymis, illinc* Philomela *querelis*
Deducant linguæ *funera sola tuæ.*

Georgius Herbert.

In Obitum Honoratissimi viri ac Domini, D. *Francisci* de Verulamio, Vicecomitis Sancti Albani, nuperi Angliæ Cancellarii.

ADhuc superbis insolente purpurâ
Feretri rapinis Inclytos in tot viros

Sterile

Sterile Tribunal? cilicio dicas diem,
Saccúmq; totam facito luxuriem fori.
A Themide libra *nec geratur pensilis,*
Sed urna, *prægrauis urna* Verulamii.
Expendat. Eheu! Ephorus haud lancem premit,
Sed Areopagus; nec minor tantus sophos,
Quam Porticus bracchata. Nam vester, scholæ,
Gemiscit axis, tanta dum moles ruit.
Orbis soluta cardo litterarii,
Vbi studio coluit togam & trabeam pari.
Qualis per umbras Ditis Euridice vagans
Palpare gestiit Orphëum, quali Orphëus,
Saliente tandem (vix prius crispâ) Styge,
Alite fibras lyræ titillavit manu;
Talis plicata Philologωn ænigmatis
Petiit Baconum vindicem, tali manu
Lactata cristas extulit Philosophia:
Humique soccis reptitantem Comicis
Non proprio Ardelionibus molimine
Sarsit, sed Instauravit. *Hinc politiùs*
Surgit cothurno celsiore, & Organo
Stagirita virbius reviviscit Novo.
Calpen superbo Abylámq; vincit remige
Phœbi Columbus, artibus novis Novum
Daturus Orbem; *promovet conamina*

Iuvenilis

Iuvenilis ardor, uſq; ad invidiam trucem
Fati minacis. Quis Senex *vel* Hannibal,
Oculi ſuperſtitis timens caliginem,
Signis Suburram ventilat victricibus?
Quis Milo inultus quercubus bilem movet,
Senecta tauro gibba cùm gravior premit?
Dum noſter Heros traderet ſcientias
Æternitati, prorſus expeditior
Sui ſepulchri comperitur artifex.
Placida videtur Ecſtaſis ſpeculatio,
Quâ mens tueri volucris Idæas boni
In lacteos properat Olympi tramites.
His immoratur ſedibus Domeſtica,
Peregrina propriis. Redit. Iocularitter
Fugax; vagatur rurſus, & rurſus redit.
Furtiva tandem ſeriò, ſe ſubtrahit
Totam; gementi, morbido cadaveri
Sic deſüeſcit anima, ſic jubet mori.
Agite lugubres Muſæ, & à Libani jugis
Cumulate thura. Sydus in pyram illius
Scintillet omne; ſcelus ſit accendi rogum
Regum Prometheo culinari foco.
Et ſi qua fortè ludat in cineres ſacros
Aura petulantior, fugámque ſuadeat,
Tunc flete; lachrymis in amplexus ruent

Globuli

Globuli sequaces. Denuò fundamine
Ergastuli everso radicitùs tui
Evehere fœlix anima, Iacobum *pete,*
Ostende, & illùc civicam fidem *sequi.*
E Tripode juris, dictites oracula
Themidos *alumnis. Sic (Beati cœlites)*
Astræa *pristino fruatur vindice,*
Vel cum Bacono rursus Astræam date.

R. P.

Memoriæ Meritisque Honoratissimi *D. Francisci D. Verulamii Vice-Comitis Sant-Albani.*

LVgete fletu turbulenta flumina,
Sub calce nata Pegasi,
Rivóq; nigrum vix trahente pulverem
Limo profana currite.
Viridisq; Daphnes *decidens ramis honos*
Arescat infœlicibus.
Quorsum Camænæ *laureas inutiles*
Mœsti colatis hortuli?
Quin vos severis stipitem bipennibus
Vanæ secatis arboris!
Vivos reliquit, cui solebat unico
Coronam ferre lauream,

B Divûm

Divûm *potitus arce* Verulamius
Coronâ fulget aureâ:
Supra cœli *terminos ſedens amat*
Stellas videre cernuus:
Sophiam *qui ſede* cælitum *reconditam*
Invidit immortalibus,
Aggreſſus Orbi *redditam cultu novo*
Mortalibus *reducere:*
Quo nemo terras incolens majoribus
Donis pollebat ingenj:
Nec ullus æqué gnavitèr ſuperſtitum
Themin *maritat* Palladi.
Adductus iſtis, dum vigebat, artibus
Aonidum *ſacer chorus,*
In laude totam fudit eloquentiam,
Nihil reliquit fletibus.

Poſui Wilhelmus Boſwell.

In Obitum Honoratissimi Domini *Francisci Baconii*, magni nuper totius Angliæ Cancellarii. &c.

AVdax exemplum quò Mens humana feratur,
Et Sæcli vindex ingeniose tui,
Dum senio macras recoquis fœliciter artes,
Subtrahis & prisco libera colla jugo,
Quo deflenda modo veniunt tua funera? quales
Exposcunt lacrymas, quid sibi fata volunt?
An timuit Natura parens ne nuda jaceret,
Detraxit vestem dum tua dextra sacram?
Ignotiq; oculis rerum patuere Recessus,
Fugit & aspectum Rimula nulla tuum?
An verò, Antiquis olim data Sponsa Maritis,
Conjugis amplexum respuit illa novi?
An tandèm, damnosa piis atq; invida cæptis,
Corripuit vitæ fila (trahenda) tuæ?
Sic ultra vitreum Siculus *ne pergeret orbem*
Privati cecidit militis ense Senex.
Túq; tuos manes ideò (Francisce) *tulisti,*
Ne non tentandum perficeretur opus.

In eundem.

SVunt qui defuncti vivant in marmore, & ævum
Annosis credant postibus omne suum:
Ære micant alii, aut fulvo spectantur in auro,
Et, dum se ludunt, ludere fata putant.
Altera pars hominum, numerosâ prole superstes,
Cum Niobe *magnos temnit iniqua* Deos:
At tua cælatis hæret nec Fama Columnis,
Nec tumulo legitur, Siste viator iter:
Siqua Patrem proles referat, non corporis illa est,
Sed quasi de cerebro nata Minerva Iovis:
Prima tibi virtus monumenta perennia præstat,
Altera, nec citiùs corruitura, Libri:
Tertia Nobilitas; ducant jam fata triumphos,
Quæ (Francisce) *tui nil nisi corpus habent.*
Vtraq; pars melior, Mens & bona Fama supersunt,
Non tanti ut redimas vile cadaver habes.

T. Vincent. T.C.

In Obitum nobiliſſimi *Domini Franciſci Baronis Verulamii*, &c.

VIſa mihi pridem nec in uno vivere poſſe
Tot bona ſunt, unquam nec potuiſſe mori;

Queis, quaſi ſyderibus cœlum, tua vita refulſit,
Et quæ ſunt fatum cuncta ſecuta tuum;

Ingenium, & largo procurrens flumine Lingua,
Philoſophi pariter, Iuridiciq; decus.

Nunc video potuiſſe quidem; ſed parcite amici,
Hic ſi non redeat, non reditura puto.

I.Vincent.T.C.

In obitum Illuſtriſſimi Clariſſimiq; *Herois, Domini Franciſci Baconi, Baronis de Verulamio,* Θρηνῳδία.

MVſæ *fundite nunc aquas perennes*
In Threnos, Lacrymáſque; Apollo *fundat*
Quas vel Caſtalium *tenet Fluentum:*
Nam Letho neq; convenire tanto

Poſsint nænia parva, nec coronent
Immenſa hæc modicæ ſepulchra guttæ:
Nervus ingenii, Medulla ſuadæ
Dicendiq; Tagus, *reconditarum*
Et gemma pretioſa Literarum,
Fatis concidit, (heu trium Sororum
Dura ſtamina) Nobilis Baconus.
O quam te memorem Bacone *ſumme*
Noſtro carmine! & illa glorioſa
Cunctorum monumenta ſeculorum,
Excuſa ingenio tuo, & Minervâ!
Quam doctis, elegantibus, profundis,
Inſtauratio magna, *plena rebus!*
Quanto lumine tineas Sophorum
Diſpellit veterum tenebricoſas
Ex chao procreans novam σοφίαν:
Sic ipſe Deus inditum ſepulchro
Corpus reſtituet manu potenti:
Ergo non moreris (Bacone) *nam te*
A morte, & tenebris, & à ſepulchro,
Inſtauratio magna *vindicabit.*

R. C. T. C.

In

In Obitum Honoratissimi *Baronis Verulamiensis, &c.*

E*N iterùm auditur (certè* Instauratio *magna est!)*
Stellatâ Camerâ *fulgidus ore* Bacon:
Nunc verè albatus, Iudex purissimus audit;
Cui stola (Christe) *tuo sanguine tincta datur.*
Integer ut fiat, priùs exuit Ipse Seipsum:
Terra, habeas corpus; (dixit,) & Astra petit.
Sic, sic Astræam sequitur prænobilis umbra,
Et Verulam *verum nunc sine Nube videt.*

De Connubio Rosarum.

SEptimus Henricus *non ære & Marmore vivit;*
Vivit at in chartis (Magne Bacone*) tuis.*
Iunge duas (Henrice) *Rosas; dat mille* Baconus;
Quot verba in Libro, tot reor esse Rosas.

T. P.

In

In obitum nobilissimi doctissimiq; viri *Dom. Fran: Bacon, Baronis Verulamiensis, &c.*

Sic cadit Aonii *rarissima Gloria cœtûs?*
Et placet Aoniis *credere semen agris?*
Frangantur Calami, disrumpanturque libelli,
Hoc possint tetricæ si modo jure Deæ.
Heu quæ lingua silet, quæ jam facundia cessat,
Quò fugit ingenii Nectar & Esca tui?
Quomodo Musarum nobis contingit Alumnis
Vt caderet nostri præses Apollo *chori?*
Si nil cura, fides, labor, aut vigilantia possint,
Síque feret rapidas, de tribus una, manus;
Cur nos multa brevi nobis proponimus ævo?
Cur putri excutimus scripta sepulta situ?
Scilicet ut dignos aliorum à Morte labores
Dum rapimus, nos Mors in sua jura trahat.
Quid tamen incassum nil proficientia fundo
Verba? quis optabit te reticente, loqui?
Nemo tuam spargat violis fragrantibus urnam,
Nec tibi Pyramidum *mole sepulchra locet;*
Nam tua conservant operosa volumina famam,
Hoc satis, hæc prohibent te monumenta mori.

Williams.

In obitum Honoratissimi Domini, D.

Francisci Vicecomitis Sancti Albani, Baronis Verulamij, viri Incomparabilis.

Parcite: Noster amat facunda silentia luctus,
Postquam obijt solus dicere qui potuit:
Dicere, quæ stupeat Procerum generosa corona,
Nexaque sollicitis soluere Iura reis.
Vastum opus. At nostras etiam Verulamius *artes*
INSTAVRAT *veteres, condit & ille nouas.*
Non qua maiores: Penitos verum ille recessus
NATVRAE, *audaci prouocat ingenio.*
Ast Ea, siste gradum, serisque nepotibus, *(inquit,)*
Linque quod inuentum sæcla minora iuuet.
Sit satis, his sese quod nobilitata Inuentis,
Iactent ingenio tempora nostra tuo.
Est aliquid, quo mox ventura superbiet ætas;
Est, soli notum quod decet esse mihi:
Sit tua laus, pulchros Corpus duxisse per artus,
Integra cui nemo reddere membra queat:
Sic opus artificem infectum commendat Apellem,
Cum pingit reliquam nulla manus Venerem.
Dixit, & indulgens cæco Natura *furori,*
Præsecuit vitæ Filum Operisque simul.

 At

At Tu, qui pendentem audes detexere telam,
Solus quem condant hæc monumenta ſcies.
H. T. Coll. Trin. Socius.

In obitum Nobiliſsimi viri, *Fran-ciſci Domini Verulam, Vicecomitis Sancti Albani.*

T*E tandem extincto ſecum Mors læta triumphat,*
Atque ait; Hoc maius ſternere nil potui;
Hectora *magnanimum ſolus lacerauit* Achilles,
Obrutus ac vno vulnere Cæſar *obit:*
Mille tibi morbos dederat mors, ſpicula mille,
Credibile eſt aliter te potuiſſe mori?
Tho. Rhodes Col. Regal.

In Clariſsimi viri *Franciſci Bacon*, Baronis de Verulamio, Vicecomitis Sancti Albani, memoriam.

N*Aturæ vires pandens, Artiſque labores,*
Arte potens quondam ſtudio indagauit anhelo
Anglus, Rogerius Bacon, *celeberrimus olim:*
Optica qui chymicis, phyſiciſque mathemata iungens,
Perſpectiua, ſuæ præclara molimina mentis,
Viuit

Viuit in æternûm præclaræ munere famæ.
Anglus & alter erat clarus Bacon Iöannes,
Abdita Scripturæ reſerans Oracula Sacræ.
Stirps BACONIADVM *quamuis generoſa Britannis*
Pignora plura dedit, longè celebrata per orbem;
FRANCISCVM *tandem tulit hunc : generoſior alter*
Ingenio quiſquamne fuit? maiora capeſſens?
Ditior Eloquio? compluraque mente reuoluens?
Scripta docent; veterum *queis hic monumẽta* Sophorũ
Cenſurâ caſtigat acri; exiguoque libello
Stupendos auſus docet INSTAVRATIO MAGNA;
Ventorum Hiſtoriæ, Vitæque & Mortis imago.
Quis mage Magnanimus Naturam Arteſq; *retexens?*
Singula quid memorem, quæ multa & clara ſuperſunt?
Pars ſepulta iacet; parti quoque viſere Lucem
Rawleyus *præſtat* Franciſco *fidus* Achates.

Robertus Aſhleyus Medio-Templarius.

In Domini *Franciſci Baconi* iam *mortui Hiſtoriam vitæ & Mortis.*

HIſtoriæ *ſcriptor* Vitæ Mortiſque Bacone,
Sera mori, ac ſemper viuere digne magis;
Cur adeo æternas præfers extincte tenebras,
Noſque haud victuros poſt te ita tecum aboles?

Nostrûm omniū Historiam Vitæ mortisq; (Bacone)
Scripsti ; quæso tuam quis satis historiam
Vel Vitæ, vel Mortis, io ? quin cedite Graij,
Cede Maro Latiâ *primus in historiâ.*

Optimus & fandi, & scribendi, & nomine quo non
Inclytus, eximius consilio atque scholâ ;
Marte *idem, si* Mars *artem pateretur, & omni*
Excellens titulo semihomoque ac studio ;
Temptor opum, atque aurum tenui dum posthabet auræ,
Terreā regna polo mutat, & astra solo.

In eundem virum eloquentissimum.

Viderit vtilitas, Moniti meliora, *sed adde*
Ex Ithacâ, Fandi fictor, *& omne tenes.*
E. F. Regal.

In obitum *literatißimi iuxta ac nobilißimi viri Francisci Domini Verulam Vicecomitis Sancti Albani.*

O*Ccidit ante diem* Musarum Phosphorus ! *ipsa*
Occidit ab Clarij *cura, dolorque* Dei.

Deliciæ

Deliciæ (*Natura*) *tuæ*; *Mundique* Baconus:
Mortis (*quod mirum est*) *ipsius ipse dolor.*

Quid non crudelis voluit sibi Parca licere?
Parcere Mors vellet, noluit illa tamen.

Melpomene *obiurgans hoc nollet ferre*; *deditque*
Insuper ad tetricas talia dicta Deas.

Crudelis nunquam verè priùs Atropos; *Orbem*
Totum habeas, Phœbum *tu modo redde meum.*

Hei mihi! nec cælum, nec mors, nec Musa (Bacone)
Obstabant Fatis, nec mea vota tuis.

In obitum eiusdem.

S*I repetes quantum Mundo Musisque* (Bacone)
Donasti, vel si Creditor esse velis;
Conturbabit Amor, Mundus, Musæque, Iouisque
Arca, Preces, Cælum, Carmina, Thura, Dolor;
Quid possunt Artes, quidue inuidiosa Vetustas?
Inuidiam tandem desinat esse licet.
Sustineas fælix, maneasque (Bacone) *necesse est*,
Ab Natura *nihil, quod Tibi soluat, habet.*

In obitum eiuſdem, &c.

SI niſi qui dignus, nemo tua fata (Bacone *)*
Fleret, erit nullus, credito nullus erit.

Plangite iam verè Clio, Cliûſque *Sorores,*
Ah decima occubuit Muſa, decuſque chori.

Ah nunquam verè infælix priùs ipſus Apollo*!*
Vnde illi qui ſic illum amet Alter erit?

Ah numerum non eſt habiturus; iamque neceſſe eſt,
Contentus Muſis *vt ſit* Apollo *nouem.*

Ad vtraſque Academias carmen
Παραμυθητικόν.

SI mea cum veſtris valuiſſent vota Sorores,
(Ah venit ante ſuum noſtra querela diem!)
Non foret ambiguum noſtri certamen Amoris,
(Et pia nonnunquam lis in Amore latet:)
Nos noſtrum lacrymis, & Te potiremur Apollo
Delicium patriæ (docte Bacone*) tuæ.*
Quid potuit Natura magis, virtuſue? dediſti
Perpetui fructum nominis inde tui.

Cum

Cum legerent nostri pars te prudentior aeui,
Vnum iurabant vsque decere loqui.
Hunc nimium tetricæ nobis, Vobisque negarunt
(Ah sibi quid nolunt sæpe licere) Deæ.
Dignus erat cælo, sed adhuc tellure morari,
Pro tali quæ sunt improba vota viro?
O fælix Fatum! cum non sit culpa (Bacone)
Mortem, sed fælix gloria, flere tuam.
Sistite iam meritos fletus, gemitusque Sorores;
Non potis est mæstos totus inire rogos.
Et noster, vesterque fuit: lis inde sequuta est,
Atque vter maior sit dubitatur Amor.
Communis dolor est, noster, vesterque: iacere
Vno non potuit tanta Ruina loco.

Guiliel. Loe. Coll. Trinit.

In obitum Illustrissimi *Domini Verulamij, Vicecomitis Sancti Albani.*

D*Vm scripturiuit multùm* Verulamius Heros,
Imbuit & crebris sæcla voluminibus:
Viderat excultos Mors dudum exosa libellos,
Scripta nec infælix tam numerosa tulit.

Odit

Odit enim ingenij monumenta perennia, quæque
Funereos ſpernunt æmula ſcripta rogos.
Ergo dum calamum librauit dextera, dumq́;
Laſſauit teneras penna diſerta manus;
Nec dum finitam ſignârat pagina chartam
Vltima, cùm nigrum Theta *coronis erat:*
Attamen & viuent ſeros aditura nepotes,
Morte vel inuitâ, ſcripta (Bacone) *tua.*

Iacobus Duport. T. C.

Ad Viatorem, *Honoratiſsimi Domini,*
FRANCISCI *Domini* VERVLAM,
Monumentum inſpicientem.

M*Armore* Pieridum *gelido* Phœbique *Choragum*
Incluſumne putes, ſtulte Viator? abi:
Fallere: jam rutilo Verulamia *fulget Olympo:*
Sydere ſplendet Aper *magne* Iacobe *tuo.*

In obitum illuſtriſſimi & ſpectatiſſimi tum à literis *tum à prudentiâ & natiuâ nobilitate viri,* D^ni^ Franciſci Bacon, Vicecomitis S^ti^ Albani, &c.

N*On ego, non* Naſo *ſi viueret ipſe litaret*
Exequijs verſu magne Bacone *tuis.*

Deducti

Deducti veniunt versus à mente serenâ,
Nubila sunt fato pectora nostra tuo:

Replesti mundum scriptis, & sæcula famâ,
Ingredere in requiem, quando ita dulce, tuam.

Et tibi Doctrinæ Exaltatio *scripta* (Bacone)
Exaltat toto iam caput orbe tuum.

Curta cano, quin nulla magis ; sin carmina vitæ
Te reparare tuæ, quanta (Bacone) *darem?*
C. D. Regal.

In obitum Honoratissimi Domini,
Dni. Francisci Baronis de Verulamio,
Vicecomitis S. Albani.

Q*Vi fuit Legis Moderator, illâ*
Lege solutus, reus ipse mortis
Sistitur, nostram politeia turbat
Sic Radamanthi.
Qui Nouo *summum Sophiæ Magistrum*
Organo *tandem docuisset vti,*
Mortis Antiquâ methodo coactus
Membra resoluit.

Quippe præmißis validè nociuis
Parca *conclusum voluit supremum*
Huic diem, sensus ratioue fatis
Insit iniquis.

Multa qui haud vno reuelanda sęclo
Κρυπτὰ Naturæ *patefecit, ipse*
Iusta Naturæ *facili Nouercæ*
Debita soluit.

Artium tandem meliore venâ
Occidit plenus, moriensque monstrat
Quam siet longa Ars, breuis atque vita,
Fama perennis;

Qui fuit nostro rutilans in orbe
Lucifer, *magnos & honoris egit*
Circulos, transit, proprioque fulget
Fixus in orbe.

Carmen sepulchrale.

S*Vb tumulo est corpus, (non debita præda sepulchri)*
Virtutum exterius nomina marmor habet;
Sic pia saxa loqui docuit Vestigia figens
Marmore in hoc Virtus, ipsa datura fugam:

Nostra

Nostra dabunt tumulumq; æternum Corda, loquantur
Vt famam illius saxa hominesq; simul.
Henr. Ferne Trin. Coll. So.

Ad Statuam literatissimi verèque nobilissimi viri Dni Francisci Bacon.

O*Ctoginta negat qui te numerasse* Decembres,
Frontem, non libros inspicit ille tuos:
Nam virtus si cana senem, si serta Mineruæ,
Reddant; vel natu Nestore *maior eras.*
Quod si Forma neget, Veterum Sapientia *monstret;*
Longæuæ ætatis tessera certa tuæ.
Viuere namque diu Cornicum *condere lustra*
Non est, sed vitâ posse priore frui.
G. Nash Aul. Pem.

De Inundatione nuperâ Aquarum.

S*Oluerat* Eridanus *tumidarum flumina aquarum:*
Soluerat; & Populis non leuis horror erat:
Quippe grauis Pirrhæ *metuentes tempora cladis*
Credebant simili crescere flumen aquâ.

Ille dolor fuerat sæuus, lachrymæq; futuri
Funeris, & Iustis dona paranda nouis.
Scilicet & Fluuios tua (vir celeberrime) tangunt
Funera, nedum Homines, mœstaq; corda virûm.

Iames.

In obitum Honoratissimi Viri *Francisci Bacon, Vice-comitis* SANCTI ALBANI, Baronis de VERVLAM, &c.

ERgo Te quoque flemus? & æternare Camenas
Qui poteras, poteras ipse (Bacone) *mori?*
Ergo nec ætherea fruerere diutiùs aurâ?
(Indigni scriptis Ventus & Aura *tuis;)*
Scilicet indomiti tandem vesania Fati
Placari voluit nobiliore rogo:
Sæuaq; vulgares iam dedignata triumphos
Ostendit nimio plus licuisse sibi:
Vnaq; lux tanti nunc luctûs conscia, peste
Insolitâ quanti nec prior annus erat.

R. L.

In

In obitum Nobilissimi viri, *Francisci Baconis*, olim magni Sigilli ANGLIæ Custodis.

QVid? an apud Deos *coorta lis fuit?*
An æmulum senex Saturnus *filium*
Iouem *vocauit in ius, rursùs expetens*
Regnum? sed illic Aduocatum non habens
Relinquit astra, pergens in terras iter,
Vbi citò inuenit parem sibi virum,
Baconem *scilicet, quem Falce demetens*
Ius exequi coëgit inter Angelos,
Et ipsum se Iouémque *filium suum.*
Quid? an prudentiâ Baconis *indigent*
Dei? *vel liquerit* Deos Astræa?
Ita est: abiuit: ipsaq; astra deserens,
Ministrabatur huic Baconi *sedulè.*
Saturnus *ipse non fælicioribus*
Degebat æuum sæculis, quibus nomen
Vel aureum fuit, (sunt hæc poëtica)
Quàm judicante nos Bacone *degimus:*
Beatis ergo nobis numina inuidentia,
Volebant gaudium hoc commune demere:
Abijt, abijt: sat hoc doloribus meis

Est protulisse: non dixi est mortuus:
Quid est opus iam vestimentis atris? en en
Arundo nostra tincturâ fluit nigrâ;
Camænarumque *fons siccum se fecerit,*
In lacrymas minutas se dispertiens:
Frequentibusq; nimbis Aprilis *madet*
Dolores innuens: quippè insolentiùs
Furit fraterna ventorum discordia:
Vterque scilicet gemens non desinit
Ab intùs altius suspirium trahens.
O omnibus Bone, vt videntur omnia
Amâsse te viuum, & dolere mortuum!

Henr. Ockley C. Tr.

In Languorem diuturnum, sed mortem Inopinatam, Nobilissimi Domini sui, Vice-Comitis S^ti Albani.

Mors priùs aggressa est, fuit inde repulsa; putabam
Incepti & sceleris pœnituisse sui.
Callidus obsessas vt Miles deserit vrbes
Incautis posito quò ferat Arma metu;
Mors pariter multùm hunc vulnus defendere doctum,
Auerso à Musis Lumine sæua ferit.

Impetus

Quam cupiam Lacrymis oculos absumere totos;
Nostra sed heu Libris Lumina seruo suis.

Sic Maculis chartam lugentem emittere cordi est;
Nil salis hic nisi quod Lacryma salsa dedit.

Guil. Atkins Dominationis suæ Seruus Domesticus.

In obitum Domini *Francisci Baconi*, *Baronis de Verulamio*, & totius *Angliæ* nuperi CANÇELLARII.

D*Vm moriens tantam nostris* Verulamius Heros
Tristitiam Musis, *luminaque vda facit:*
Credimus heu nullum fieri post fata beatum,
Credimus & Samium *desipuisse senem.*
Scilicet hic miseris, fœlix nequit esse, Camænis,
Nec se quam Musas *plus amat iste suas.*
At luctantem animam Clotho *imperiosa coëgit*
Ad cœlum inuitos traxit in astra pedes.
Ergone Phœbeias *iacuisse putabimus artes?*
Atque herbas Clarij *nil valuisse Dei?*
Phœbus *idem potuit, nec virtus abfuit herbis,*
Hunc artem atque illas vim retinere putes:

At

At Phœbum (*vt metuit ne Rex foret iste* Camænis)
Riuali medicam crede negasse manum.
Hinc dolor est; quod cum Phœbo Verulamius Heros
Maior erat reliquis, hac foret arte minor.
Vos tamen ô, tantùm Manes atque Vmbra, Camænæ,
Et pœnè inferni pallida turba Iouis,
Si spiratis adhuc, & non lusistis ocellos,
Sed neque post illum vos superesse putem:
Si vos ergo aliquis de morte reduxerit Orpheus,
Istaque non aciem fallit imago meam:
Discite nunc gemitus, & lamentabile carmen,
Ex oculis vestris lacryma multa fluat.
En quàm multa fluit? veras agnosco Camænas
Et lacrymas, Helicon *vix satis vnus erit;*
Deucalionæis *& qui non mersus in vndis*
Pernassus (*mirum est*) *hisce latebit aquis.*
Scilicet hic perijt, per quem vos viuitis, & qui
Multâ Pierias *nutrijt arte* Deas.
Vidit vt hic artes nullâ radice retentas,
Languere vt summo semina sparsa solo;
Crescere Pegaseas *docuit, velut Hasta* Quirini
Creuit, & exiguo tempore Laurus erat.
Ergo Heliconiadas *docuit cum crescere* diuas,
Diminuent huius secula nulla decus.

Nec

Nec ferre vlterius generosi pectoris æstus
Contemptum potuit, Diua Minerua, *tuum.*
Restituit calamus solitum diuinus honorem,
Dispulit et nubes alter Apollo *tuas.*

Dispulit et tenebras sed quas obfusca vetustas,
Temporis et prisci lippa senecta tulit;
Atque alias methodos sacrum instaurauit acumen,
Gnossiaque *eripuit, sed sua fila dedit.*
Scilicet antiquo sapientum vulgus in æuo
Tam claros oculos non habuisse liquet;
Hi velut Eoo *surgens de littore* Phœbus,
Hic velut in mediâ fulget Apollo *die:*
Hi veluti Typhis *tentârunt æquora primùm,*
At vix deseruit littora prima ratis,
Pleiadas *hic* Hyadasq; *atque omnia sydera noscens,*
Syrtes, *atque tuos, improba* Sylla, *canes;*
Scit quod vitandum est, quo dirigat æquore nauem,
Certiùs et cursum nautica monstrat acus:
Infantes illi Musas, *hic gignit adultas;*
Mortales illi, gignit at iste Deas.
Palmam ideo reliquis Magna Instauratio *libris*
Abstulit, & cedunt squalida turba sophi.
Et vestita nouo Pallas *modò prodit amictu,*
Anguis depositis vt nitet exuuijs.

E *Sic*

Sic Phœnix *cineres ſpectat modò nata paternos,*
Æſonis *&* *rediijt prima iuuenta ſenis.*
Inſtaurata ſuos & ſic Verulamia *muros*
Iactat, & antiquum ſperat ab inde decus.

Sed quanta effulgent plus quam mortalis ocelli
Lumina, dum regni myſtica ſacra canat?
Dum ſic naturæ leges, arcanaq; Regum,
Tanquam à ſecretis eſſet vtriſque, canat:
Dum canat Henricum, *qui Rex, idemq; Sacerdos,*
Connubio ſtabili iunxit vtramque Roſam.

Atqui hæc ſunt noſtris longè maiora Camænis,
Non hæc infœlix Granta, *ſed* Aula *ſciat:*
Sed cum Granta *labris admouerit vbera tantis*
Ius habet in laudes (maxime Alumne*) tuas.*
Ius habet, vt mœſtos lacrymis extingueret ignes,
Poſſet vt è medio diripuiſſe rogo.
At noſtræ tibi nulla ferant encomia Muſæ,
Ipſe canis, laudes & canis inde tuas.
Nos tamen & laudes, quâ poſſumus arte, canemus,
Si tamen ars deſit, laus erit iſte dolor.

Tho. Randolph. T. C.

FINIS.